



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis
Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et
Justitiae, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque
omnibus in utroque Foro ...

Tractatus Primi Pars I. de Servitutibus Prædialibus, Usufructu, & utroque
Retractu, Pars II. de Emphyteusi, Pars III. de Locatione & Conductione

**Luca, Giovanni Battista de
Coloniae Agrippinae, 1691**

Disc. LX. Romana Usufructus. De ususfructu legali debito patri in bonis
adventitiis filii quandò cessen, præsertim ex tacito & conjecturato judicio
illius, à quo bona obveniunt. Et incidenter quid ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-74102

cessionarii, itaut per istius non autem per cedentis mortem cessare dicatur juxta textus claros in l. si ususfructus & ff. de novationibus l. si legatum ff. quib. modis ususfructus amittatur, & l. ususfructu ff. solut. matrim. cum concordan. ex quibus post antiquiores ab eis allegatos ita firmant Barbos. in dicta l. ususfructu ff. solut. matrim. num. 3. Sanchez ad precepta Decalogi lib. 7. tit. 13. num. 19. Castill. de ususfructu cap. 62. n. 4. cum seqq. alias de mesa lib. 3. var. c. 48. n. 18. & per tot. Olea de cessione tit. 3. q. 1. num. 25. & 27.

Quod etiam habemus in materia emphyteutica, quia si unus emphyteuta de consensu domini emphyteusim cedat alteri, tunc non linea seu generatio cedentis, sed illa cessionarij ad effectum devolutionis attenditur, cum per dictum consensum censeatur per actum occultum refutationis extinta prima concessio, & per alium actum novae investiture efformata nova directe & immediate in persona cessionarij, ut ex cons. 63; Anchurani, & alijs firmatur dec. 182. par. 6. recen. ac non semel in terminis alienationis feudorum, & officiorum ac locorum montium habetur deductum sub tit. de Feudis, & sub altero de Regalibus.

Igitur cum totum jus dicta annua præstationis resideret in persona Buzzaccarini, atque substantia contraetus penderet à voluntate ipsius & Cardinalis, qui poterant à dicto contractu liberè recedere, Multò magis ita potuerunt innovare absque eo quod nullatenus requisitus esset consensu Roncalli cessionarij, qui sine consensu Cardinalis nullum jus formale habebat. Et clarissimum dum certus videbatur ejusdem Roncalli consensus, Tum ex eo quod sciens per mercatorem solutum esse pretium ob exhibitionem dicti consensus in conditionem deducti nunquam reclamavit. Tum ex actu positivo exactiōnis per plures annos continuata, & hæc videbatur veritas, itaut si econverso superviventे Buzzaccarino casus mortis Cardinalis accidisset, absque dubio pro meo iudicio cessionarij prædicti periculum fuisset.

SUMMARIUM

- 1 F: Aeti series.
- 2 Patri in bonis filio obventis debetur ususfructus.
- 3 Fallit ex contrario iudicio expresso, vel tacito testatoris.
- 4 Quales debeant esse conjectura, & quomodo in earum pondere procedendum sit.
- 5 De operatione verbi liberè.
- 6 Testatoris qualitatē deferendum est super interpretatione ejus verborum.
- 7 Vbi diriguntur verba administrationis ad ipsum filium censem prohibitus ususfructus.
- 8 De alia conjectura ex quar esulit dicta prohibitiō.
- 9 In feudi per filium acquisitis non acquiritur patrī ususfructus, & de rationibus.
- 10 In bonis donatis à Principe non acquiritur patri ususfructus.
- 11 Feudatarius est miles, & habet duplex patrimonium.
- 12 Quod dicitur num. 9. de fendi, an procedat in bonis jurisdictionalibus.
- 13 Prestitum fendi non est feudale.

DISC. LX

P OMPEVS Columna, Gallicani Princeps nuncupatus, prole alisque legitimis feudi successoribus substitutus, & consequenter nullam habens facultatem disponendi de multis feudiis à se possessis in Provincia Aprutii Regni Neapolitani ad Regem per ejus obitum devolvendis, antiquis scilicet Status seu Comitatus Cicili, quem usque ab anno circiter 1530. acquisivit Cardinalis Pompeus Columna, dum esset praefati Regni Prorex, & modernis Status seu Comitatus Pacentri per Petrum Franciscum dicti Pompei patrem acquisitis ex parte pretij Status seu Ducatus Zagorole per ipsum venditi Cardinalis Ludovisio; Adhuc tamen notabilem possidens asem scut. circiter 700. m. pro majori parte obvenientem ex multiplici partis pretij dicti Status Zagorole, ac Oppidorum Montisfortini & Olevani, ab eodem Petro Francisco venditorum Principi Burgesio, Ut saltem hæc bona remanerent in familia, hæredem libere instituit Stephanum Columnam Ducem Bascaniæ de linea, seu colonello ut dicitur Sarra viri celebris in vita Bonifacij Octavi & Dominorum Civitatis Prænestin. per ejusdem Stephani avum vendita Principi Barborino. Hinc proinde sequuta morte dicti testatoris, exorta est extrajudicialis dubitatio: An hujusmodi hæreditatis & bonorum ususfructus deberentur Iulio Cæsari Princi Carboñani praefati Stephani patri, atq; desuper ab utroque concorditer, magisque ad curiositatem, quam quod inter eos aliqua controversia extitura esset, pro veritate requisitus de mea sententia, cui acquiecerunt.

Respondi probabiliorē videri negativam pro filio. Licet enim pater habeat pro se regulam, ut sibi in quibuscumque bonis in filium obventis, sub castrensi vel quasi castrensi peculio non venientibus, sed sub adventitio, ususfructus debeatur juxta textum clarum in l. cum oportet Cod. de bonis, quæ liberis. Nihilominus ista regula plures patitur limitationes, ex quibus ad rem faciebat illa, ex contraria, nedum expresa, sed etiam præsumpta & conjecturata voluntate ejus à quo bona in filium obveniunt ad text. in auth. excipitur, Cod. de

ROMANA VSVSFRVCTVS INTER PRINCIPEM CARBOGNANI

ET

DUCEM BASSANELLA PATREM ET FILIUM DE COLVMNA.

Responsum pro veritate.

De ususfructu legali debito patri in bonis adventitijs filij quando cesser, præsertim ex tacito & conjecturato iudicio illius, à quo bona obveniunt. Et incidenter quid sit in feudi & bonis jurisdictionalibus.

*de bonis, qua liberis, ubi DD. & in l. cum filio fam. ff.
3 de legatis primo, de quibus Paschal. de parr. potest.
par. prima cap. 3. num. 38. Molina de primogen. lib. 1.
cap. 19. n. 31. Surd. cons. 116. num. 54. & sequen. & cons.
143. num. 21. Castill. de ususfructu cap. 3. numer. 55. &
sequen. Andreol. controv. 224. num. 1. & ceteri
communiter, cum sit certum ac receptum prin-
cipium.*

Unde propterea nulla desuper cadere videtur quastio juris, sed cessante prohibitione expressa, quoties agatur de tacita & conjecturali, sola qua-
stio videtur facti & applicationis, super pondere scilicet & efficacia conjecturarum, quas DD. vo-
lunt esse debore efficaces, univocas, & pernecesse
concludentes, ut patet ex Molina, Paschal. & Castill.
locis citatis; Et con sequenter juxta consuetam & ge-
neralem naturam omnium cojecturalium, certa &
determinata regula, seu generalis decisio desuper
tradi non potest, sed illa in singulis casibus pro ju-
dicis prudenti arbitrio pro illius individui facti qua-
litate, ejusque particularibus circumstantiis oriri
debet, modo affirmativa, & modo negativa, ponde-
rando conjecturas, non singulariter, sed unitim, ac
etiam non cum regula uniformi, sed prout singu-
lorum casuum qualitas exigit, quoniam ut frequen-
ter praeterit habetur *sub tit. de fideicommissis,* sa-
pe contingit, quod eadem conjectura in uno casu
sufficiunt & canonizantur, altero vero reprobantur
ac insufficiente reputantur.

In hac autem facti specie, mihi videbatur adesse
conjecturas sufficientes pro hujusmodi limitatione
inducenda, & ex pluribus insimul & unitim ponde-
randis cum confusa regula, ut *singula, qua non pro-
funt &c.* Primò scilicet & ex verbo *libere* adjectum
in institutione, hoc enim verbum est exclusivum eu-
juscumque oneris, & servitutis, ut plures deducunt
habetur *sub tit. de fideicommissis,* praesertim in Ro-
mana restitutio*nis* dotis & in decisione in ea causa
edita 14. Decembri 1657. Priolo, unde cum usus-
fructus, vel ex legis, vel hominis dispositione alteri
debitus importet absque dubio servitutem ut infra,
neque dictum vobum *libere*, attento testamento te-
nore ad aliud referri posset, aliamque operationem
habere. Hinc proinde ad istam referendum videba-
tur ut de efficacia hujus verbi late agit Surd. cons.
143. num. 23. Potissimum vero attenta qualitate testa-
to*ris* nimirum doctri*&* erudit*is* viri, profitentis ejus
verba Laconico stylo mysterioso proferre; Recep-
tum enim est, ut plures in dicta materia fideicom-
missaria habentur, testatoris qualitat*is* super interpre-
tandis verbis ab eo prolatis nimirum deferendum
esse, an sit doctus & litteratus, vel econversus, idiota,
& litterarum ignarus.

Secundò fortiter, quia testator recte sciebat ad-
esse dictum Principem patrem, cum quo magis
frequenter convertabatur; Et nihilominus tam
verbis quam factis omnia direxit in ipsum filium
etiam circa ea, quae immediatam præsentaneam ad-
ministrationem requirebant; Commitendo scili-
cet ipsius heredis arbitrio, modum exequiarum
seu funerum ipsius testatoris, ac modum præstandi
alimenta & subventiones aliquibus familiaribus &
benevolis; Et quod magis, cum esset morti proximus,
ibique afflisterent pater & filius predicti, testa-
tor manu sua tradidit filio heredi instituto claves
scriniorum, & mansionum, in quibus res pretiosiores
conservabantur. Cum enim iste ususfructus legalis
sit connexus cum administratione, eo ipso, quod
testator immediata administrationem præsuppo-
nit in filio, in quem verba dirigit, ubi aliquid dari

vel fieri mandat, ita resultare videtur sufficiens con-
jectura prohibitionis ususfructus ad text. in l. su-
susfructus & si quis ita ff. quando dies legati cedar, u-
bi glos. & Barr. ac ceteri, de quibus Gabr. cons. 118. n.
12. lib. 1. Boer. dec. 193. num. 2. Menoch. cons. 102. n.
1. Surd. dict. cons. 116. n. 55.

Tertiò fortissime, ac nimirum me movebant fa-
cti circumstantiae mihi cognitæ tanquam ejusdem
testatoris Advocato*s*; Cum enim ipse esset de linea,
seu colonello, ut dicitur, Martinis, cuius est caput
Comeftabilis Columna, & erga quam domum aliquam
majorem propensionem habebat; Econverso
autem bona prædicta ratione foeminarum cum e-
jus majoribus conjunctarum de dicta linea, seu col-
onello Sciaræ ab ista provenirent, ut erat præser-
tim status Zagarola, cuius est caput dictus Prin-
ceps & alias Prenestin. nunc Carbognani, recteque
idem testator sciret præfatum Comeftabilem ali-
quas habere sorores nubiles; Idcirco, ut utrumque
colonellum parviter diligenter, eosque novæ
conjunctio*nis* attinentia unire curaret, ita studiose
præfatum Stephanum jam in astate & statu nubili
constitutum providere curavit ad facilitandum ejus
matrimonium cum una ex præfati Comeftabili
sororibus, prout eventus ad breve tempus docuit;
Et sic in animo habuit, quod Dux predictus tan-
quam ejus hæres ac uxorum ut supra ducturus, figu-
ram distincta & de per se faceret, diversam ab illa
patris, cum honorifico tractatu, quæ omnia sequi
non potuerint, si ususfructus juxta regulam juris
patri acquiri debuerit, cum alias ita in statu filii
familias adhuc continuaturus esset.

Atque ad hujus conjectaræ comprobationem,
ut præsertim satisfacerem ingeniosissimo Cardina-
li Pallavicino Prædictorum partium conjuncto, ad
cujus magis, quam predictorum patris & filii re-
quisitionem hoc responsum dedi, & qui nedium in-
signis Theologus, sed magnus eruditio*nis* ac poli-
tioris literaturæ professor, nimis gustabat mate-
riæ legales in stylo neoterico & ratiocinativo tra-
ctatas, sicuti econverso eas nimirum naufragabat de-
ductas in simplici stylo pragmatico seu doctrinali;
Cum aliqua digressione, non tamen omnino ex-
tranea, deducebam alteram dictæ regule limitatio-
nem, quam habemus in feudi*s*, in quibus per filium
familias acquisitis receptum est, patri usumfructum
non acquiri *ex deducendis* per Gabr. cons. 62. numer. I.
lib. 2. Paschal. dicta par. 1. cap. 3. num. 102. Coftant.
in l. 2. Cod. de filiis officialium lib. 12. Franch. dec. 10.
num. 7. ubi quod id est sine dubio.

Indagando autem hujus conclusionis rationes,
observabam plures applicari posse, quarum una tra-
di solet, ubi feudum à Principe immediatè obtine-
tur, ex eo quod dicta regula locum non habeat in
bonis, que per Principem filio donantur, seu alias
ab eo obveniunt ad text. in l. cum multa Cod. de bo-
nis que liberis. Paschal. dicto cap. 3. num. 47. Coftant.
id d. l. 2. de filiis officialium & ceteri; Altera est ma-
gis communis conveniens quibuscumque feudi*s* eti-
am ab alio cum Domini assensu quæfitis, quod
cum ususfructus imponet servitutem, ac speciem
divisionis feudi, seu quædam speciem alienationis,
id sequi non potest; Vel quia nulla detur alienatio
sine assensu, iuxta ea quæ in proposito refutacionis
cum reservatione ususfructus habentur deducta in
Rom. pecuniaria de Pallavicinis sub tit. de feudi*s* dis.
76. Vel, & verius, quod cum ipsum feodium dicatur
servitus, dari non debet servitus servitutis, ut
praesertim advertunt Franch. & Gabriel ubi su-
pra.

Et tertia ratio est, quod feudum dicitur militia, & feudatarius est miles primi ordinis, habens primum ad insular antiquorum militum duplex patrimonium, ac duplē hāredem militarem & paganum, ut frequenter in sua materia *sub tit. de fēdīs*, prasertim in *Romanā contributionē de Columna*, & in *Romanā sēi Roffanen. disc. 21. & 22.* Et consequenter intrant termini peculiū castrēnsis, in quo filius reputatur paterfamilias, & non habet locum regula prædicta textus in *l. cam. oportet Cod. de bonis, quæ liberis.*

Ex qua ratione, quicquid circa hujusmodi limitationem distingendo species seu qualitates feudorum motivet *Gabr. dēcō cons. 162. numer. 46. & seqq.* Ego advertebam, cādem limitationem omnino cadere, ac recipiendam esse in Baronibus & 12 Domicellis statu Ecclesiastici pro majori parte possidentibus castra, oppida, & loca jurisdictionalia, magis in qualitate allodii quam veri feudi, excepta illa impropria & remota feudalitate, quæ latè & doctè deducitur per *Spadams cons. 2. lib. 1. pro superioritate Papæ*, ac ad excludendum purum & liberū allodium, ut frequenter in dicta sua materia *sub tit. de fēdīs*; Quoniam etiam in istis intrare videtur eadem ac major ratio prohibita alienationis vel divisionis ob *Constitutiones Apostolicae*, ut prasertim *eodem tit. de fēdīs in Camerinen. disc. 49.* Ac etiam, & verius, quod ita intrat eadem ratio peculiū castrēnsis, dum illi Bārōnes & Domicelli castra & bona jurisdictionalia possidentes, de factō dicuntur milites primi ordinis hujus Principatus, Magnatitum ac Baronalcm ordinem constituentes, ideoque hujusmodi species honorum ita inter castrēnsia magis, quam paganica in proposito emeranda videntur.

Quamvis autem in hac facti specie deficerē videatur applicatio, cum in hac hereditate obsequitam devolutionem dicatorum feudorum Regni Neapolitani nulla superessent feuda vel castra & bona jurisdictionalia, sed totus assis penē confiseret in predictorum castrorum & bonorum jurisdictionalium jam distractorum pretio, quod non dicitur feudale vel jurisdictionale, ut apud *Franck. decis. 64. Manent. decis. 57.* & frequenter in dicta sua materia *de fēdīs*; Nihilominus adhuc à simili, seu ex identitate rationis dicebam prædicta ad rem conferre ad magis cōprobandam dicti testatoris voluntatem ex aliis quoque conjecturis & adminiculis ubi supra defūptam; Cum enim ipse habens scilicet titulum seu nuncupationem Princeps loci Gallicani jam ab ejus patre ut supra cum reliquo statu Zagarola distracta, quamvis nullum feudum vel locū jurisdictionalē in hoc Principatu haberet, adhuc tamen hujus Principatus Baronis & Magnatis figuram facere profitebatur, & sic de ordine militi primi ordinis Papæ tanquam Princeps temporalis; Ita consideravit ac verisimiliter voluit eamēdē figuram continuandam esse à prefato ejus herede titulum Dūcis jam habente, ut ita quodammodo faceret caput diversa domus ab ea, quam eodem tempore faciebat dictus Princeps pater, quod utique sequi nō potuisse, data dicti ususfructus competētia, ponderando hāc omnia insimul & unum ut supra.

MACERATEN.

USUSFRUCTUS

PRO

MARCO ANTONIO CONVENTATO

CVII

JULIO CÆSARE EJUS FILIO.

*Casus disputatus coram A.C. pender in Ro-
ra, ut infra.*

De eodem usufructu legali debito patri in bonis adventitiis filij, an & quando cesset, si filius est clericus, & qualis clericatus requiratur. Et an talis usufructus locum habeat in iis quæ obveniunt in filium ex eadem dispositione, ex qua etiam pater aliquid obtinet. Et quid de bonis obvenitis cum vinculo fideicommissi seu primo geniture.

SVMMARIVM.

F Acti series.

- 1 Bona adventitia filii familiā clericī regalantur jure castrēnsiū tam ad effectum testandi quam ne acquiratur usufructus patri.
- 2 Non acquiritur patri usufructus in illis bonis, in quibus filius cum patre succedit.
- 3 Heres gravatus dicitur verus Dominus.
- 4 Pater non habet usumfructum in illis bonis, quæ filius acquirit cum vinculo fideicommissi.
- 5 Conclusio de qua num. 2. procedit in bonis quæ acquiruntur tempore clericatus non antea.
- 6 Mors filii non facit cessare usumfructum patris.
- 7 Quid si filius ante clericatum acquiras solum proprietatem. & usufructus consolideatur post clericatum.
- 8 Quid in casu confiunctionis honorum filii an prajudicet patre in usufructu.
- 9 Distinguuntur inflectiones super conclusione de qua num. 2.
- 10 Quod dicta conclusio procedat solum in clericis, qui in certis ordinib⁹ constituti sunt, & de ratione.
- 11 Litisatio stricte intelligenda, & non extenditū de casu ad casum.
- 12 Idem de privilegiis.
- 13 An prima tonsura sit ordo, & in quo differat ab alijs ordinib⁹.
- 14 De differentia in materia ordinum inter Ecclesiam Graciam & Latinam.
- 15 Impugnatur conclusio, de qua num. 2. ac firmatur non procedere in clericis in minorib⁹.
- 16 Expenduntur plures rationes hujus conclusionis seu privilegi.
- 17 Posto quod hoc privilegium conveniat etiam clericis in minorib⁹, an concurrere debeant re quisita Concilii Tridentini.
- 18 De rationibus ob quas in clericis in minorib⁹ non intret auth. Presbyteros.

20. D